

DE PERIODO INITIALI SEU INTRODUCTORIA PROCESSUS IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII (*Continuatur*)*

II. De citatione partis conventae

Admisso libello, iudex alterum coniugem — qui simpliciter uti pars conventa in causis nullitatis matrimonii consideratur⁶⁴ — in iudicium vocare seu ad litem contestandam citare debet (c. 1507, §1).

Dixi «alterum coniugem». Ita enim est in maxima parte casuum, quando nempe matrimonium nullitatis accusatur ab uno ex coniugibus utroque vivente. Aliquis alius autem erit pars conventa — prout casus ferat — quando matrimonium accusatur a promotore iustitiae vel causa introducitur post mortem alterutrius vel utriusque coniugis. Ne tamen expositio mea complexa et difficilis ad percipiendum sit, in ulterioribus consi-

* Cf. in hoc volumine, pp. 83-116.

⁶⁴ In meo articulo *Quisnam est pars conventa in causis nullitatis matrimonii?*, in *Periodica* 79 (1990) 357-391, animadverti alterum coniugem non esse veram partem conventam in causis nullitatis matrimonii. Id tamen momentum practicum pro nostris ulterioribus considerationibus non habet, quatenus in eodem articulo — quem nonnisi utpote vocem in discussione existimo — alterum coniugem tamquam tertium intervenientem necessarium indicavi, cui tribuenda sunt iura quae propria sunt partium. Quam ob rationem, in praesenti lectione alter coniux simpliciter tamquam pars conventa indicatur.

derationibus prae oculis habebō solummodo casum quando matrimonium nullitatis accusatur ab alterutro coniuge, utroque vivente.

1. *Momentum citationis partis conventae*

Relatio iuridica processualis — iam inter actorem et iudicem, libelli exhibitione, instaurata — per citationem alterius coniugis ad hunc etiam extenditur, in ordine ad contradictorium inter partes instituendum.

Agitur de actu maximi momenti, qui ad substantiam iudicii pertinet — quod absque contradictorio non intellegitur — et directe tum ius naturale defensionis respicit (veluti fundamentum defensionis constituit) tum paritatem inter partes⁶⁵.

Quapropter defectus illius primae citationis alterius coniugis nullitatem insanabilem sententiae efficit, quatenus ius defensionis praecludit (c. 1620, n. 7). Quod exinde non verificatur si in ulteriori processus periodo alter coniux in tali conditione ponatur ut iura sua tueri valeat, vel ob propriam spontaneam in iudicio apparitionem vel ob notificationem eidem factam actorum processualium⁶⁶.

Necessitas citandi alterum coniugem cessat, si hic sponte coram iudice compareat, nam «si partes... de facto coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes iudicio adfuisse» (c. 1507, §3).

⁶⁵ Cf. A. STANKIEWICZ, *De citationis necessitate et impugnatio-
ne*, in *Quaderni Studio Rotale* 4 (1989) 75-76.

⁶⁶ Cf. G. ERLEBACH, *La nullità della sentenza giudiziale «ob
ius defensionis denegatum» nella giurisprudenza rotale*, Città del
Vaticano 1991, 240-244.

Per huiusmodi spontaneam apparitionem vitia, etiam substantialia citationis, sanantur⁶⁷.

«At non quaelibet comparitio partis conventae coram iudice sanare valet defectum citationis, sed ea tantum 'quae facta sit cum animo interveniendi in iudicio seu ad causam agendam'»⁶⁸.

2. *Decretum citationis*

a. - In iure canonico, aliter ac plerumque in modernis systematibus processualibus civilibus, citatio *fit a iudice* (c. 1507, §1)⁶⁹. In causis nullitatis matrimonii id pertinet ad collegii praesidem, qui id committere potest etiam ponenti (c. 1677, §1); nisi in casibus exceptionalibus supra relatis (I, 4b) causa definienda est a iudice unico, tunc evidenter ipse id facere debet (cf. c. 1507, §1).

b. - Haec citatio facienda est *in eodem «decreto, quo actoris libellus admittitur»* (ibidem).

Fieri autem debet decreto separato in casu admissionis libelli ope legis. Tunc «decretum citationis in iudicium fieri debet intra viginti dies a facta instantia», qua actor, iudice silente, post mensem ab exhibito libello petiit ut ipse munere suo fungeretur (c. 1507, §2).

c. - Citatio saltem *duo complecti debet*, nempe:

1) Notitiam de elementis essentialibus actionis promotae ab actore, seu quis sit actor, quis pars conventa,

⁶⁷ Cf. A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 84 una cum nota 77.

⁶⁸ *Ibid.* nt. 77: videas etiam decisiones rotales ibidem relatas.

⁶⁹ Ad rem vide A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 75-76.

coram quo tribunali causa introducta sit, quod sit petitum, quae causa petendi vel causae petendi (si plures adducuntur), saltem verbis generalibus indicatae. Absque his saltem elementis pars conventa non possit iudici adaequate respondere nec sese defendere.

Haec elementa non necessario contineri debent in ipso citationis decreto, sed sufficit ut pateant ex iis quae simul cum eodem parti conventae transmittuntur, seu ex ipso decreto admissionis libelli, quatenus in eodem insimul fit citatio, vel ex ipso libello, si citationi adnectitur, de qua re modo dicam. In libello enim illa omnia elementa essentialia contineri debent, at si ob graves causas libellus citationi non adiungatur, notitia de illis elementis in citatione deficere nequit.

2) Praeceptum iudicis parti conventae datum:

— vel ut ipsa scripto (per se vel per procuratorem) respondeat intra terminum quindecim dierum (cf. c. 1677, §2),

— vel ut coram iudice se sistat (per se vel per procuratorem) ad dubia concordanda, indicatis loco, die et hora (c. 1507, §1).

Ubi sermo est specificè de causis ad matrimonii nullitatem declarandam — seu in c. 1677, §2 — memorata esse videtur solummodo prima ex his duabus possibilitatibus (seu ut iudex parti conventae scripto respondere praecipiat), et non altera. Mihi tamen videtur hanc alteram possibilitatem excludi non posse, eo vel magis quod ipsis partibus facultas conceditur petendi et obtinendi sessionem ad litem contestandam, immo id actor petere potest in ipso libello. Exinde mirum esset si iudex, utilitatem huius sessionis animadvertens, id statim decernere nequeat. Nihilominus patet voluntas legislatoris, ut in causis nullitatis matrimonii iudex potius ad illam primam speciem praecepti citationis recurrat.

Notare denique velim in citationis decreto vel in documentis eidem adnexis significanda esse parti conventae nomina iudicum et defensoris vinculi, qui designati sunt ad causam pertractandam (aliorumque administratorum, uti notarii, auditoris vel assessoris si iam designati sint), ut, ad normam c. 1449, si et quatenus, recusari possint.

3. «Citationi libellus... adiungatur»

Codex praecipit: «Citationi libellus litis introductorius adiungatur, nisi iudex propter graves causas censeat libellum significandum non esse parti antequam haec deposuerit in iudicio» (c. 1508, §2). Animadvertendum est hanc normam esse praeceptivam (ita aliquomodo parti conventae ius agnoscitur una cum citatione obtinendi libellum), seu non relinquere simpliciter prudentiae iudicis utrum ipse libellum adiungere debeat necne. Quam ob rem iudici non licet parti conventae communicationem libelli una cum citatione recusare, nisi ob *graves causas*, quod «obveniri potest ad gravia damna vitanda, e.gr. ob periculum revera imminens 'querelae apud tribunal civile' instituendae e narratione factorum in libello»⁷⁰. Aestimatio gravitatis rationum, quae suadeant ut parti conventae libellus solummodo postquam haec in iudicio deposuerit notificetur, discretionalitati relinquitur iudicis.

Recusatio communicationis libelli una cum citatione, «cum circa ius partis conventae vertatur, definiri

⁷⁰ A. STANKIEWICZ, *De citationis...*(cf. nt. 65), 83. Cf. etiam *Communications* 15 (1984) 62-63, ubi memoratur huiusmodi periculum in nationibus in quibus viget systema iuridicum «Common law».

debet a iudice 'decreto decisorio', quod igitur vim non habebit, nisi saltem summarie indicaverit motiva negatae communicationis libelli (c. 1617).

Decretum huiusmodi inscribi potest ipsi decreto citationis, quod tunc, attenta unitate instituti citationis, indolem mixtam habebit, scilicet decreti ordinatorii (tamquam citatio) et decisorii (tamquam recusatio communicationis libelli)»⁷¹.

4. *Notificatio decreti citationis*

«Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae notificari» (c. 1508, §1) et quidem una cum libello, nisi, uti dixi, graves causae aliud suadeant (c. 1508, §2).

a. - *Momentum notificationis*. Citationis notificatio parvi facienda non est, nam «si citatio non fuerit legitime notificata nulla sunt acta processus»⁷², salvo casu quo pars spontanee coram iudice se sistat ad causam agendam (c. 1511).

Immo — cum causae matrimoniales bonum publicum respiciant (cf. c. 1691) — haud legitima notificatio, spontanea partis conventae apparitione ad causam agendam non sanata, provocat nullitatem *sanabilem ipsius sententiae*, quatenus «haec actu iudiciali nullo innitatur (c. 1622, n. 5), vel ea de causa lata sit 'contra partem legitime absentem' (c. 1622, n. 6). Quin etiam, si ob hanc rationem parti conventae denegatum fuerit

⁷¹ A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 83.

⁷² Agitur hic de *actibus processus*, seu de illis quae ad formam procedendi pertinent; non de *actibus causae*, quae nempe meritum quaestionis respiciunt (cf. c. 1472, §1).

ius defensionis, sermo fieri potest etiam de *insanabili nullitate sententiae* (c. 1620, n. 7)⁷³. Immo verificari potest hic etiam hypothesis nullitatis insanabilis de qua in c. 1620, n. 4.

b. - *Munus iudicis in re*. Praeses vel ponens iubere debet, ut notificatio ad normam iuris peragatur (c. 1677, §1), ipsa notificatio autem per se non est actus iudicis⁷⁴. Huius tamen erit dein videre utrum ex actis constet eandem legitime peractam esse, si pars conventa non respondeat vel non compareat in iudicio.

c. - *Ad quem dirigenda est citationis notificatio?* Dicimus de citatione partis conventae, ideoque evidenter ad eandem. At animadvertendum est, si pars conventa rationis usu destituta vel minus firmae mentis sit, seu non habeat legitimationem ad processum (cf. c. 1478, §4), citationem notificandam esse eius curatori (c. 1508, §3), clare edicendo eidem citationis significationem fieri tamquam partis conventae curatori. Agitur de curatore — uti dixi — ab ipso iudice admissio vel designato ad normam c. 1479. Ideoque, si pars conventa rationis usu destituta vel minus firmae mentis curatorem non habeat, qui iudici admittendus videatur, ipse iudex eidem curatorem pro causa designare debet.

⁷³ A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 84

⁷⁴ Ad rem animadversum est.: «Citatio et notificatio sunt duo actus processuales distincti, quia ope notificationis legitime peractae ipsa citatio ad cognitionem partis conventae deferatur. Notificatio per se non est actus iudicis, sed citatio tantum et iussum notificationis citationis. Hoc sensu igitur in processu matrimoniali intelligi debet praescriptum c. 1677, §1: 'Libello acceptato, praeses vel ponens procedat ad notificationem citationis ad normam can. 1508', id est iubet citationem notificari ad normam memorati canonis» (A. STANKIEWICZ, *De citationis...*, cf. nt. 65, 80).

d. - *Quomodo peragenda est?* «Per publicos tabellarios vel alio modo qui tutissimus sit, servatis normis lege particulari statutis» (c. 1509, §1).

Exinde etiam modus significandi citationem per publicos tabellarios tutissimus esse debet, et talis fit si citatio mittatur «per litteras commendatas cum syngrapha receptionis»⁷⁵.

Alius modus tutissimus est certo certius notificatio «per cursorem», qui relationem de peracta citatione peragit.

Quidquid id est, lex particularis ad rem normas dare potest (c. 1509, §1).

e. - Conventus, qui *citationem* «*recipere recuset vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat*, legitime citatus habeatur» (c. 1510).

Experientia docet hanc recusationem vel desiderium non obtinendi citationem, in causis nullitatis matrimonii, varias ob rationes locum habere posse: vel quia pars conventa, ob aversionem erga partem actricem, impedire vult ne haec declarationem nullitatis matrimonii obtineat; vel quia pro collaboratione in processu desiderat a parte actrice pecuniam obtinere (quo in casu evidenter suspecta esset eius collaboratio); vel quia eadem, ob defectum fidei aut despectum erga Ecclesiam catholicam, pro nihilo habet pronuntiationes tribunalium ecclesiasticorum; vel quia tam pro valido et indissolubili habet suum matrimonium ut illegitimum esse censet quodcumque conamen id declarandi nullum.

f. - «De facto notificationis et de eius modo *constare debet in actis*» (c. 1509, §2). Ideoque — prout casus

⁷⁵ *Ibid.*, 81.

ferat — conservanda est in actis syngrapha receptionis vel relatio cursoris, vel aliud de re documentum, ex quo constet partem conventam citationis notificationem recepisse vel minus, vel eandem impedivisse ut citatio ad se perveniret.

g. - Quaestio devenit particulariter delicata si actor asserit se *locum commorationis partis conventae ignorare* et possibilitatem eum cognoscendi non habere (quod rarissime probabile esse potest). Tunc — attento momento citationis partis conventae — iudex omnia possibilia conamina adhibere debet ad locum commorationis partis conventae detegendum eamque citandam. Probabiliter parum efficax vel inutile, in ordine ad hunc finem obtinendum, est affigere schedam citationis ad foras Curiae ad modum edicti, uti olim fiebat⁷⁶. Utilis esse possit insertio eiusdem schedae in aliqua publica ephemeride⁷⁷. Magis adhuc opportuna — et immo, saepissime necessaria — erit tunc inquisitio personalis ipsius iudicis vel auditoris, qui: a) exquiret ab actore, ut indicet ultimum sibi notum locum commorationis partis conventae, et dein a parrocho illius loci, ut inquisitionem peragat ubinam eadem pars translata sit; b) alios de hac re interroget qui cum parte conventa intima vitae consuetudine distinguebantur; c) et — si nondum pars conventa inventa erit — dein, quando causae instructio fiet, interroget ad rem testes adductos, ac praesertim illos ex officio vocandos qui cum parte conventa in intima vitae consuetudine versabantur (praesertim eius consanguineos). Omnino enim pa-

⁷⁶ Cf. c. 1720, §2, Codicis anni 1917 necnon art. 83 Instr. *Pro-vida Mater*.

⁷⁷ Cf. *ibid*.

rum probabile est, ut nemini ex his notum sit partis conventae locum commorationis. Ubi id possibile sit, decisivum esse etiam potest, ad partem conventam inveniendam, auxilium auctoritatum civilium, seu officii in quo publicus civium fit elenchus (anagraphe).

Experientia docet actorem aliquando occultare vel le locum commorationis partis conventae, sibi notum, ne in processu ea in lucem ponantur quae sibi non fa-
veant; vel eiusdem non interesse ut pars conventa inveniatur ad interveniendum in processu. Sat recenter mulier aliqua Signaturae Apostolicae scripsit se per casum notitiam recepis-
se de declaratione nullitatis sui matrimonii et se numquam invitata fuisse ad interveniendum in processu nec de eodem antea aliquid scivisse. Tribunalia enim, quae de causa viderunt, tum citationem tum notitiam de decisione lata mulieri conventae ad falsam inscriptionem — ab actore datam, cui domicilium eiusdem conventae absque dubio notum fuit — miserunt evidenter nulla responsione recepta⁷⁸. Ita se decipere sinens, certo certius tribunal testimonium serietatis non dedit.

⁷⁸ Apud Signaturam Apostolicam prot. n. 21470/89 VT. Alio in casu actor tribunali dixit sibi locum commorationis mulieris conventae esse ignotum dum eadem mulier in eodem loco commorabatur, in quo cum viro actore convixerat (apud Signaturam Apostolicam prot. n. 20465/88 VT: hunc casum descripsit F. DANEELS, *Brevis introductio ad declarationem Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis de foro plerarumque probationum*, in *Iustus Iudex* (Festgabe für Paul Wesemann), Essen 1990, 412-413). Cf. etiam apud Signaturam Apostolicam prot. n. 20045/88 VT (Recepta ab officio cursuali publico notitia de erronea inscriptione partis conventae, Tribunal nullum fecit conamen ad eandem conventam inveniendam. Ita eadem solummodo postea ab amica edocta est de declarata nullitate sui matrimonii).

5. *Effectus citationis*

Can. 1512 quinque enumerat effectus citationis. Agitur de effectibus citationis *legitime notificatae*, ideoque citatio legitime non peracta illos effectus non producit. Iidem effectus tamen oriuntur quoque ex apparitione partium «coram iudice... ad causam agendam», seu ex citatione ita sanata.

Ex effectibus de quibus in memorato canone⁷⁹, ad causas nullitatis matrimonii quod spectat, momentum practicum habet praesertim ille sub n. 2 indicatum: «causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est». Quam ob rationem, si ad aliquam causam pertractandam plura adsint tribunaia aequae competentia (v.gr. unum ratione celebrationis matrimonii, aliud ratione domicilii partis conventae, aliud adhuc ratione plerarumque probationum), tunc postquam unum eorum parti conventae citationem legitime notificaverit⁸⁰, vel partes sponte coram eodem steterint ad causam agendam, omnia alia

⁷⁹ En textus canonis: «Cum citatio legitime notificata fuerit aut partes coram iudice steterint ad causam agendam:

1. res desinit esse integra;
2. causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;
3. in iudice delegato firma redditur iurisdictio, ita ut non expirat resolutio iure delegantis;
4. interruptitur praescriptio, nisi aliud cautum sit;
5. lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium «*lite pendente, nihil innovetur*».

⁸⁰ Recte notat I. GORDON: «Si aliquando mittuntur parti conventae duae successivae citationes [cf., v. gr., c. 1507, §1, secunda pars], effectus de quibus in hoc canone, alligantur semper, ut par est, citationi *primae*» (*Novus processus nullitatis matrimonii*, Roma 1983, 18, nt. 13).

non amplius sunt competentia⁸¹, nisi post instantiam in primo gradu finitam per peremptionem vel per renuntiationem⁸².

6. *Impugnatio acceptationis causae ex parte tribunalis et recusatio iudicum aliorumque tribunalis administratorum*

a. - Recepto decreto citationis, pars conventa possibilitatem habet proponendi exceptiones adversus acceptationem causae ex parte tribunalis, scilicet:

— Exceptionem *incompetentiae* absolutae vel relativae (cf. supra I, 6b, 1); incompetentia absoluta, cum insanabiliter nullam reddat sententiam (c. 1620, n. 1), in quovis stadio causae excipi potest vel a iudice ex officio declarari (cf. c. 1461); incompetentia relativa autem, uti dixi, nisi excipiatur ante litis contestationem, ipso iure sanatur.

Quoad rationem procedendi, c. 1460, statuit:

«§1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.

§2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem, at non prohibentur querela nullitatis et restitutio in integrum.

§3. Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra quindecim dies utiles provocare ad tribunal appellationis».

⁸¹ Sermo tamen est de tribunalibus *ceteroquin competentibus*, exinde per solam citationem non sanatur incompetentia relativa. Cf. I. GORDON, *Novus processus...* (cf. nt. 80), 18, sub (g).

⁸² Cf. Responsum Pont. Commissionis Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando diei 29 aprilis 1986, in AAS 78 (1986) 1324. Quoad peremptionem et renuntiationem cf. cc. 1520-1525.

— Exceptionem *defectus legitimae personae standi in iudicio* partis actricis (cf. supra I, 6b, 2) *aliasque exceptiones* ob vitia quibus sententiae nullitas haberi potest (ob defectum subscriptionis libelli, in quo casu deesset petitio; ob petitionem factam a procuratore sine legitimo mandato: cf. c. 1620), quae exceptiones «in quolibet iudicii statu vel gradu excipi possunt itemque a iudice ex officio declarari» (c. 1459).

Ad rationem procedendi quod spectat, servandi sunt canones de causis incidentibus, seu cc. 1587-1591.

b. - Recepto decreto citationis, quo, uti dixi, notificanda sunt etiam nomina iudicum aliorumque administratorum, quatenus iam ad causam pertractandam designati sunt, tam pars actrix quam conventa eos, si et quatenus, recusare potest: ad rem videas quae dixi supra sub I, 4 g-h.

7. *Impugnatio decreti citationis*

a. - Dixi citationem saltem duo complecti debere, notitiam nempe de elementis principalibus quae causam specificant et praeceptum parti conventae datum ad comparendum coram iudice vel ad mittendam scriptam responsionem.

Haec duo enim citationem essentialiter constituunt et proinde ad eius validitatem requiruntur (cf. c. 124, §1). Quapropter, iisdem deficientibus, pars conventa hanc ob rationem citationis nullitatem excipere potest.

b. - Nullitas citationis excipi quoque potest si citationi, absque indicatione saltem summaria motivorum, libellus litis introductorius adiunctus non fuerit. Supra enim notavi recusationem communicationis libelli una cum citatione definiendam esse decreto decisorio. Huiusmodi decreta autem «vim non habent, nisi saltem

summarie motiva exprimant, vel ad motiva in alio actu expressa remittant» (c. 1617)⁸³.

Auctores etiam asserunt: «Si iudex decreto citationis non adiungat libellum litis introductorium nec rationes denegatae communicationis referat... affert nullitatem citationi... etiam ob denegatum exercitium integri iuris defensionis, quod parti conventae iam initio causae competit, attento quod citatio tendit ad instaurandum inter partes contradictorium nec non relationem processualem»⁸⁴. Hoc tamen aliquam exaggerationem sapere mihi videtur.

⁸³ Cf. A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 83.

Vide quoque auctores ab eo citatos: S. VILLEGIANTE, *Il principio del contraddittorio nella fase di costituzione del processo ordinario per la dichiarazione di nullità del matrimonio*, in AA.VV., *Dilexit iustitiam* (Studia in honorem Aurelii Card. Sabatani), Città del Vaticano 1984, 358-360; Id., *Il diritto di difesa delle parti nel processo matrimoniale canonico*, Roma 1984, 34-39; L. MATTIOLI, *La fase introduttoria...* (cf. nt. 44), 219.

Disceptari potest utrum in casu agatur de nullitate citationis an de nullitate eius notificationis. Una ex parte, enim, locutio «citationi libellus litis introductorius adiungatur» exprimere videtur agi de documento quod integrat ipsam citationem (quam ob rationem inclino ad censendum agi de nullitate citationis), altera ex parte tamen praedicta locutio in c. 1508 invenitur, qui de notificatione citationis tractat.

A. Stankiewicz asserit: «defectus legitimae notificationis citationis... oriri potest sive ex illegitimo modo intimationis sive ex nullitate citationis» (*ibid.*, 84). Cum citatio et eius notificatio duo sint actus distincti (uti sententia et eius publicatio), mihi potius videtur nullitatem vel illegitimitatem unius actus non efficere nullitatem vel illegitimitatem alterius. Similiter sententia nulla potest esse legitime notificata, ex nullitate sententiae enim non provenit illegitimitas eius publicationis. Attamen haec distinctio momentum practicum habere non videtur.

⁸⁴ A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 84. Cf. etiam ab eodem ad rem citatos S. VILLEGIANTE, *Il principio...* (cf. nt. 83), 358-359; L. MATTIOLI, *La fase introduttoria...* (cf. nt. 44), 219.

c. - Huiusmodi exceptiones, cum sint dilatoriae (et praeiudiciales quatenus in dubium ponunt utrum lis pendere inceperit ad normam c. 1512, n. 5⁸⁵), «proponendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite emergerint, et quam primum definiendae» (c. 1459, §2).

Uti ex supra dictis patet, nullitas citationis sanatur comparitione partis conventae coram iudice ad causam agendam (cf. c. 1507, §3), at nihil impedit quominus pars conventa iure suo utatur excipiendi praedictas nullitates et petat validam citationem vel notificationem libelli antequam ad ulteriora procedatur.

8. *Inoboedientia partis conventae*

Pars conventa praecepto legitimae citationis oboedire tenetur (cf. c. 1476). In causis nullitatis matrimonii, bonum publicum respicientibus, in quibus nempe Ecclesiae maxime interest ut veritas obiectiva detegatur, haec obligatio conscientiae impense sustinenda est.

Si vero intra terminum statutum quindecim dierum pars conventa non responderit, aut die statuto coram iudice non comparuerit ad dubia concordanda nec idoneam absentiae excusationem attulerit, iudex debet videre utrum revera constet «citationem, legitime factam, ad partem conventam tempore utili pervenisse». Si id non constiterit, iudex debet de hac re se certum reddere «etiam per novam citationem si opus fuerit» (c. 1592, §2)⁸⁶.

⁸⁵ Cf. A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 84.

⁸⁶ In decreto rotali coram GIANNECCHINI, diei 24 iunii 1984, n. 4, animadvertitur: «non raro evenit quod iudex practice, vel praeter intentionem, graviter laedat ius defensionis, cum scheda citatoria per publicos tabellarios missa, ad ulteriora procedit usque ad

Tunc — quatenus certo constet de citatione legitime notificata et exinde de voluntate partis conventae non interveniendi in processu — iudex eam a iudicio absentem per decretum declarare debet et decernere «ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem procedat» (c. 1592, §1).

«Haec autem norma — recte animadversum est — in causis nullitatis matrimonii prudenter, cum vero sensu pastorali et magna cum aequitate applicanda est, siquidem, uti Summus Pontifex animadvertit, hisce in causis seria conamina adhibenda sunt ad obtinendam depositionem iudicalem utriusque partis necnon testium, quos etiam pars conventa adducere possit. Huiusmodi enim in causis agitur de materia gravi, requiritur investigatio peculiariter diligens, et vitandum est, quantum fieri potest, iudicium audita una tantum parte»⁸⁷.

Utrumque non est obliviscendum illegitimam declarationem absentiae, quae secumfert negationem iuris defensionis, efficere posse nullitatem sententiae insanabilem (c. 1620, n. 7)⁸⁸.

Parti, quae declarata est absens, in causis nullitatis matrimonii notificandum est dubium concordatum

sententiam ferendam, quin ei ullo modo constet schedam citationem revera in manus partis pervenisse... citatio valet non in initio sed in termino»: textus citatus in G. ERLEBACH, *La nullità della sentenza...* (cf. nt. 66), 244, nt. 327. Hic Autor ad rem notat: «quando la parte convenuta non compare in giudizio, è di massima importanza l'accertamento se la citazione sia effettivamente pervenuta al destinatario. Facilmente si può correre il rischio di una citazione decretata, ma non notificata» (*ibid.*, 244).

⁸⁷ F. DANEELS, *De iure defensionis. Brevis commentarius ad Allocutionem Summi Pontificis diei 26 ianuarii 1989 ad Rotam Romanam*, in *Periodica* 79 (1990) 255. Auctor sese refert ad verba eiusdem Allocutionis, n. 5, in AAS 81 (1989) 923, quae citabo in fine sequentis puncti 9.

⁸⁸ Cf. G. ERLEBACH, *La nullità della sentenza...* (cf. nt. 66), 246.

(etiam novum dubium, si aliquod postea adiungatur ad normam c. 1514) et dein sententia definitiva, nullus autem interea alius actus vel decisio iudicis⁸⁹.

Evidenter, si pars conventa citari nequit, ob ignorantiam loci eius commorationis, tunc — etsi de facto absens — uti talis declarari non potest⁹⁰.

9. *Pars conventa iustitiae tribunalis se remittens*

Etsi Codex de hac re expresse nihil dicit, habentur casus in quibus pars conventa, respondens ad citationem iudicis, propriam pandet mentem circa obiectum causae ac insimul declarat sese *remittere iustitiae tribunalis*. Id significat eandem dispositam esse collaborare ad veritatem detegendam deponendo in tribunali, at non velle nec advocatum sibi constituere, nec defensorem ex officio requirere, nec personaliter sese defendere.

Tali in casu pars conventa absens declarari nequit, at eidem — similiter ac parti quae declarata est absens — notificari dein debent tantum formula dubii et novae petitiones factae (nova capita nullitatis introducta) nec non sententia definitiva. Non videtur enim necessarium eidem — quae aliquam propriam positionem in processu defendere non intendit — alios actus processuales significare nisi ipsa id expresse petat⁹¹.

⁸⁹ Cf. IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Rotam Romanam*, diei 26 ianuarii 1989, n. 5, in AAS 81 (1989) 924; M. POMPEDDA, *L'assenza della parte nel giudizio di nullità di matrimonio*, Roma 1986, 31-33; K. LUDICKE, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* (cf. nt. 41), 1592, 5; G. ERLEBACH, *La nullità della sentenza...* (cf. nt. 66), 245; F. DANEELS, *De iure...* (cf. nt. 87), 255.

⁹⁰ Cf. A. STANKIEWICZ, *De citationis...* (cf. nt. 65), 81; M. POMPEDDA, *L'assenza della parte...* (cf. nt. 89), 30-33.

⁹¹ Cf. IOANNES PAULUS II, *Alloc. cit.* (cf. nt. 89), 924, n. 5; M. POMPEDDA, *L'assenza della parte...* (cf. nt. 89), 31, 34-35; F. DANEELS, *De iure...* (cf. nt. 87), 253 et 255.

Cum autem agatur de causis boni publici, in quibus ipsius Ecclesiae maxime interest veritatem obiectivam detegere, iudex — si censeat partem conventam posse propriis animadversionibus ad veritatem attingendam efficaciter afferre — potest, vel potius debet, eam invitare ut acta ad normam c. 1598, §1, inspiciat vel alia eidem hoc in ordine significare (cf. ad rem c. 1452).

Ad rem memoranda sunt verba Ioannis Pauli II ad Rotam Romanam⁹², quae in lingua latina ita refert F. Daneels: «Etiam si qua pars hisce in causis exercitio iuris defensionis renuntiaverit, iudex nihilominus gravi obligatione tenetur adhibendi seria conamina ad obtinendam depositionem iudicalem illius partis in causa et etiam testium, quos ipsa inducere possit; hac in re singuli casus perpendendi sunt; interdum enim pars conventa processus particeps esse nolit, nulla ratione idonea adducta, quia non intellegit quomodo Ecclesia post tot annos conviventiae matrimonium suum nullum declarare possit; tali in casu iudex ipsi omnes opportunas ad rem notitias dare et patienter eius cooperationem in processu quaerere debet; id requirit verus sensus pastoralis, reverentia erga partis conscientiam necnon studium evitandi decisionem partialem in materia tam gravi»⁹³.

10. *De citatione defensoris vinculi*

Longe dixi de citatione alterius coniugis, quia hac in re faciliter irregularitates irrepi possunt ac quaestiones oriri.

⁹² *Alloc. cit.* (cf. nt. 89), 923 n. 5.

⁹³ *De iure...* (cf. nt. 87), 253.

Non est tamen praetermittendum quod etiam defensor vinculi, similiter ac alter coniux, citandus est.

In causis nullitatis matrimonii enim semper requiritur praesentia defensoris vinculi, qui «officio tenetur proponendi et exponendi omnia quae rationabiliter adduci possint adversus nullitatem» (c. 1432). Ipse ad modum partis in processu se gerit⁹⁴.

Quapropter eodem non citato «acta irrita sunt», nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit, aut saltem ante sententiam, actis inspectis, munere suo fungi potuerit (c. 1433).

Eandem ob rationem statutum est: «Nisi aliud expresse caveatur:

1. quoties lex praecipit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam... vinculi defensor, si iudicio inters[it], audiend[us est];

2. quoties instantia partis requiritur ut iudex aliquid decernere possit, instantia... vinculi defensoris... eandem vim habet» (c. 1434).

His prae oculis habitis, quae de citatione alterius coniugis dixi, mutatis mutandis, etiam citationem defensoris vinculi respiciunt.

Hic exinde a iudice citari debet in eodem decreto quo actoris libellus admittitur (in decreto separato in casu admissionis libelli ope legis). Eidem decretum ci-

⁹⁴ In meo articulo, ad suscitandam discussionem scripto, de quo supra (cf. nt. 64), defensorem vinculi praesentavi tamquam eum qui veram partem conventam in causis nullitatis matrimonii, «seu competentem auctoritatem ecclesiasticam, in iudicio plene *repraesentat*, similiter ac parentes aut tutores vel curatores stant in iudicio pro minoribus, et pro iis qui rationis usu destituti sunt (c. 1478, §1), curatores pro bonis interdictis et pro iis qui minus firmae mentis sunt (c. 1478, §4); et praesertim legitimi *repraesentantes* pro personis iuridicis (c. 1480, §1)» (p. 381), ideoque tamquam eum qui in processu plene iuribus partis gaudere debet.

tationis notificandum est (c. 1508, §1, expresse dicit «decretum citationis... debet... simul ceteris, qui comparere debent, notum fieri»), at haec notificatio, relate ad eundem, quaestiones non creat et regulariter in ipsa sede tribunalis fit. De eadem tamen in actis constare debet. Praeceptum decreti citationis «ut respondeat», relate ad eundem, in hac periodo dari potest facultative, seu ut respondeat si aliquid animadvertendum ad rem habeat. Etiam defensor vinculi excipere potest nullitatem citationis (etiam illius alteri coniugi transmissae) necnon exceptiones proponere. De declaratione tamen eius absentiae evidenter sermo esse nequit, nam is «officio tenetur» intervenire; eius negligentia a iudice ipso reprehendi debet, qui eum etiam punire potest (cf. c. 1457, §2), immo Episcopus dioecesanus (vel quoad fora interdioecesana tribunalis moderator vel Episcoporum coetus) defensorem vinculi «iusta de causa» removere potest (c. 1436, §2).

Quae omnia valent etiam de promotore iustitiae, si ad normam c. 1431, §1, in causa interveniat (cf. cc. 1433-1436).

III. De litis contestatione

1. *Notio*

Litis contestatio consistit in *definitione terminorum controversiae* (c. 1513, §1) in processu pertractandae, seu in determinatione dubii vel dubiorum, quibus in sententia respondendum sit.

Huiusmodi definitio obiecti processus desumenda est a iudice «*ex partium petitionibus et responsionibus*» (ibidem) et «partium petitiones responsionesque, praeterquam in libello litis introductorio, possunt vel in responsione ad citationem exprimi vel in declarationibus

ore coram iudice factis» (ibidem, §2), de quibus declarationibus notarius actum redigere debet (ex analogia cum c. 1503, §2; cf. etiam c. 1437). Iudex considerare etiam debet animadversiones, si quae ad rem fecerit vinculi defensor.

Litis contestatio fit per ipsius *iudicis decretum* (c. 1513, §1), seu in causis nullitatis matrimonii per decretum praesidis collegii vel ponentis (c. 1677, §2), nisi exceptionaliter, iuxta dicta in initio, causa a iudice unico pertractatur, quo in casu eiusdem erit huiusmodi decretum ferre.

2. *Ordinarie peragenda est absque ulla sessione*

Uti iam notavi, pro regula habendum est, ut in decreto citationis iudex exquirat a parte conventa scriptam responsionem intra terminum quindecim dierum (potius quam eam convocet ut coram ipso se sistat ad dubia concordanda: hoc faciendum est solummodo si iudex censeat se non posse rite terminos controversiae definire absque convocatione partium) (cf. c. 1513, §2, coll. cum c. 1677, §2).

Transacto praedicto termino quindecim dierum a citationis notificatione, intra quem pars conventa respondere debuit, «praeses vel ponens, nisi alterutra pars sessionem ad litem contestandam petierit, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuat ex officio» (c. 1677, §2).

3. *Sessio ad litem contestandam*

Si exceptionaliter iudex admissio libello iam censeat se ad terminos controversiae recte definiendos partes vocare debere ad tribunal ad dubia concordanda (cf. cc. 1507, §1, et 1513, §2), vel si actor in ipso libello id

iam petierit, iudex in decreto citationis huiusmodi vocationem partis conventae statuere potest, sed insimul ad illam sessionem citare debet actorem et vinculi defensorem (evidenter indicatis loco, die et hora).

Similiter si pars conventa in scripta responsione, per decretum citationis exquisita, sessionem ad litem contestandam petierit, vel interea id petierit pars actrix (cf. c. 1677, §2), vel denique ipse iudex recepta praefata responsione id necessarium esse censuerit ad dubia definienda, ipse tunc novo decreto citare debet partes et defensorem vinculi ad dubia concordanda.

In huiusmodi sessione adesse debet notarius qui de omnibus peractis actum conficiat (cf. c. 1437), ab omnibus praesentibus subscribendum.

Etiam in illa sessione, auditis partibus et vinculi defensore vel aliqua inter eosdem et iudicem discussione peracta, dubia definiuntur decreto iudicis.

4. *Formula dubii*

«Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare etiam debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur» (c. 1677, §3).

Caput nullitatis autem clare est determinandum, non obscure⁹⁵ et non generice (uti «ob defectum consensus»: etenim sub hac voce varia capita nullitatis ha-

⁹⁵ In relationibus annualibus, quas tribunalia mittunt Signaturae Apostolicae, indicanda sunt capita nullitatis matrimonii circa quae sententiae latae sunt. Aliquando tamen formulatio illorum capitum talis est ut non intellegatur vel non videatur distinctio inter unum et aliud caput. Tunc Supremum Tribunal explicationes exquirat et animadversiones proprias ad rem mittit.

beri possunt)⁹⁶. Unumquodque caput remittere debet ad concretum canonem iuris matrimonialis atque indicandum est pro unoquoque capite nullitatis adducto ad quamnam partem in causa id sese referat.

5. *Notificatio formulae dubii*

Decretum iudicis, quo termini controversiae iudicialis definitae sunt, partibus et vinculi defensori notificandum est (cc. 1513, §3, et 1677, §2).

6. *Momentum determinationis dubiorum et eorum notificationis*

Determinatio dubiorum et eorum notificatio maximi sunt momenti quia stricte cum conceptu iudicii et consequenter cum iure defensionis connectuntur. Absque determinatione materiae ipsum iudicium haberi non potest. Praeterea nemo apte se defendere valet, nisi sciat de qua re agatur.

Quapropter, etsi formalitates qua tales non requiruntur ad validitatem litis contestationis, res tamen ipsa nullitatem processus et sententiae afficit. Non desunt enim decisiones rotales quae nullitatem sententiae declaraverunt ob denegatum ius defensionis propter obscurum vel parti conventae celatum caput nullitatis, vel quia parti conventae indicatum fuit caput nullitatis diversum, vel quia eadem non habuit sufficientem cognitionem capitis nullitatis⁹⁷.

⁹⁶ Etiam quoad hanc rem Signatura Apostolica aliquando animadvertere debuit, tribunalibus respondens ad relationes annuales.

⁹⁷ De hac iurisprudencia rotali cf. G. ERLEBACH, *La nullità della sentenza...* (cf. nt. 66), 247-252.

Quapropter obiectum litis clare determinandum est et partibus notificandum, ut ius agendi et respondendi de facto in iudicio exercere valeant.

7. Impugnatio decreti contestationis litis

Contra decretum iudicis, quo materia causae definitur, possunt partes et defensor vinculi «intra decem dies» ab eius notificatione «ad ipsum iudicem recurrere, ut mutetur» (cc. 1513, §3, et 1677, §4).

Etsi lex id expresse non exigit, valde opportunum est, ut in notificatione decreti contestationis litis partes (coniuges) edoceantur de modo id impugnandi, praesertim si patrocinio advocati non gaudent.

Haec impugnatio «expeditissime ipsius iudicis decreto dirimenda est» (c. 1513, §3). In ordine ad decretum ferendum in hac quaestione incidenti (cf. c. 1587), iudex audire debet alteram partem et vinculi defensorem (cf. ex analogia c. 1589, §1), vel utrumque coniugem si impugnatio proposita fuerit a vinculi defensore. Decretum quod quaestionem propositam solvit, cum sit decisorium, vim non habet «nisi saltem summarie motiva exprimat, vel ad motiva in alio actu expressa remittat» (c. 1617).

Quapropter ab hac decisione iudicis, quia respicit quaestionem «expeditissime» definiendam, non datur appellatio (c. 1629, n.5); at non praecluditur querela nullitatis ob defectum motivorum ne summarie quidem expressorum.

8. Via patet ad periodum probatoriam

Si intra terminum decem dierum, a notificatione decreti quo dubia definita sunt, nemo recursum proponit, «praeses vel ponens novo decreto causae instruc-

tionem disponat» (c. 1677, §4) seu «congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis» (c. 1516). Ita aperitur periodus probatoria processus.

Si autem, intra praedictum terminum decem dierum, qua pars vel defensor vinculi contra decretum contestationis litis recurrat, novum decretum, quo causae instructio disponatur, dandum erit conclusa hac incidenti quaestione.

Si id iam antea factum non fuerit, nunc potest collegii praeses vel iudex unicus auditorem designare ad causae instructionem peragendam de qua designatione iam dixi initio huius relationis (I, 4f).

Memorandum hic adhuc est, quoad materiam huius relationis, quod «controversiae termini semel statuti mutari valide nequeunt, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis et auditis reliquis partibus [scilicet etiam vinculi defensore] earumque rationibus perpensis» (c. 1514).

Considerationes conclusivae

De periodo dixi introductoria processus nullitatis matrimonii. Etsi pauci sunt canones qui expresse de eadem tractant, tamen — uti vidimus — de periodo agitur maximi momenti, quatenus tunc fundamentum ponitur pro ordinata et efficaci ulteriore processus evolutione, qui dein in periodis probatoria, discussoria et decisoria prosequitur. Defectus in constructione illius fundamenti ad ruinam totius aedificii processus conducere potest. Quapropter illi periodo introductoriae attenta consideratio, ex parte iudicis, praestanda est.

Plures movi quaestiones particulares, praesertim ad impugnationem singulorum actuum quod attinet, quae protrahere possunt periodum initialem processus ac iu-

dicem irritare; necnon possibles dein impugnationes nullitatis sententiae notavi ob irregularitates in periodo introductoria processus commissas; quae omnia fortasse complexam reddere videbantur nostram materiam. At illa complexitas et consecutaria dilatoria ac impugnationes timenda non sunt ab illo iudice qui non arbitrarie, sed ad normam legis, se gerit in descriptis actibus ferendis, seu in admissione libelli, citatione alterius coniugis et defensoris vinculi necnon in litis contestatione.

✦ ZENON GROCHOLEWSKI